

admonere voluisset) ingentem tempestatem repente coortam, vim ventorum mixto imbri strepitu omnia complesse. Conjurati autem non modo non territi, sed usi etiam prodigiosa illa tempestate, cum clamore & strepitu in publicum prorumpunt. Res aliquanto antea trepidissime ad Principem & Patres delata, ingentem attulit terrorem. Continuo ad arma conclamatum est, dimissis per urbem, qui alta voce significant, ut quicunque Rempublicam salvam esse vellet, arreptis armis, in curiam ad opem Principi ac Patribus ferendam advolarent. Undique huc concursum. Conjurati interea aream, quæ pro æde Divi Marci longe ac late spaciatur, armis, compleverant: nec diutius cunctati, in curiam impetum faciunt. Tum optimates (nam non pauci jam cum armis in auxilium venerant) conjuratorum impressionem non modo sustinent, sed fortiter etiam injuriā repellunt. Oritur fœdissimum certamen: libertas in medio erat. Illinc nefandæ manus in illam arma intendunt: hinc Dux & Patres aut mori volunt, aut omnino eam retinere. Lucretuofsum & miserabile erat cerneare, civitatem in libertate natam, in libertate adultam, pro qua retinenda prisci illi Veneti urbis conditores adversus immanissimas gentes totiens dimicassent, ac tantum sanguinis terra marique fudissent, in se tandem arma vertisse, ac se ipsam suis armis conficeret: & libertatem, quæ omnibus semper æque chara fuisset, diversarum partium esse factam. Credas illius speciem sollicitam tum in conspectu omnium versatam: hinc Patres ad se tuendam magnopere hortantem, illinc sceleratis civibus nunc pudorem nunc convicium facientem: nec prius horum fatagere destitisse, quam superante optimatum factio[n]e, conjuratorum arma cum multa cæde ex publico sint repulsa. Ajunt in ea trepidatione Bajamontem, ubi fortunam inclinare vident, se mercatoria via domum recipientem a muliercula quadam molari lapide superne dejecto, pene exanimatum jacuisse, atque ita gravi vulnere retentum, ab iis qui eum insequebantur ferro oppressum. Inde subito recursum in forum: hic conjuratorum aliqui patricii sanguinis a Thesfera.

Conjurato-
rum, Baja-
montis cum
primis, pa-
na.